

^{LA LV}
BEATIS MANIBVS

64
VIRI CLARISSIMI
MIDN. LAURENTII

LVDOVICI LEOBERGENSIS,
Scholæ Gorlicensis Magistri fidelissimi, viri pietate,
doctrina, & humanitate præstantissimi, in nominis di-
uini inuocatione piè defuncti 17 Calend. Maij

Greg. anno post natum Chri-
stum 1594.

CARMINA SCRIPTA AB
Amicis & Discipulis.



SERVESTÆ,

Excudebat Bonauentura Faber,

ANNO

M. D. XCV.

BEATIS MANIBUS

VIRI CLARISSI
MIDN. LAURENTII

LEONARDI BOBERGERII,
Scholaris in theologiae & philosophiae
doctrinae & humanitate praestantissimi, in nominis eius
hinc invocacione pie detestantis Calant. Manj
Greg. anno post natus Chr.
Item 1557.

CHRISTOPHORI
JACOBI & DISCIPULI



SEBESTE.

Excusavit Thomae Fabrici

ANNO

M. D. XCV.

38



MEMORIAE
LAURENTII LUDOVICI, SCHOLAE

Gorlicensis Magistri fideliss. viri pietate, doctrina,
& humanitate præstantis-
simi.

Hunc tumulum Ludouicus habet, cui marty-
ris olim
Cratæ super totti nobile nomen erat:
Nobilis magno sed præceptore gerebat,
Leucoræ quondam portio clara scho-
Cuius doctrinæ filium, normamq; secutus, (læ:
Gorliciam rexit gymnasiarcha scholam,
Formator morum sanctus, studijq; magister:
Quo merito cœlum, lumine cassus, habet.
Doctus & Æacidæ custos huic contrahit arcum,
Astrifera cedens de regione locum,
Præmia sic sua sunt laudi, nec segnibus offert
Sidera, virtutis præmia iusta, Deus,

*Gregorius Bersmanus illustris Gymnasij Ser-
uestani Rector.*

IN OBITUM
LAURENTII LUDOVICI SCHOLÆ
Gorlicensis quondam Moderatoris, viri lite-
ratissimi iuxta ac optimi.

Larenti hæc tellus Ludouici amplectitur ossa,
Parua quidem, at magni pectoris exuias:
Illum æui saturum, duri taturumq; laboris,
Morte obitâ, quanquam sopiit alta quies:
Attamen vt nimis immaturo funere mersum
Lugent Castalides, flet schola Gorlitij.
Solers Musarum formator, quicquid Athenæ,
Nouerat, & quicquid Roma vetus docuit.

A 2

Ergo

Ergo qui legis hæc , tumulo quoq; scalpe querellam,
Irrora & lacrumis arida busta tuis.

*Johannes Theopoldus illustris Gymnasij
Seruestani Prorektor.*

IN OBITVM
CLARISSIMI VIRI DN. LAURENTII
Ludouici iuuentutis in Schola Gorlicensi Docto-
ris & Rectoris excellentissimi.

Dan. 12.

Per sudum rutilant conuexa palatia coeli,
Orbita splendidior, quæ vehit astra, tamen.
Siderei & flammant orbes, fulgoreq; vincunt
Lucida contuitu corpora quotquot habes.
Lecta & grata Deo sic gens rutilabit in arce
Cœlorum, Christi sponte secuta fidem.
Ast, quod fatidici Danielis sacra reliquit
Pagina, stellantis sideris instar erunt,
Densa hinc qui mentis pulsa caligine rectam
Monstrarunt lucis iusticiæq; viam.
Nitentesq; facem Veri præferre coruscam,
Ad sanctam plures erudiere fidem.
Laurenti hos inter dudum Ludouice triumphans,
Fax inter faculas maxima, nomen habes.
Ingenio clarus, pietate excelsus, acuta
Atq; humili eximius mente, labore, fide.
Accendisti ergo lucem mortalibus, istos
Dijs accenseri quæ sine fraude facit,
Gorlicij quando tibi frena regenda Lycæi,
Huius & in pluteis conspiciendus eras:
Ore grauis, calamo fortis, procul inde tenebras
Depellens, fumos disijciensq; nigros,
Raucida rasorum, falsorum & flaccida fratrum
Istis quos sparsit finibus aucta cohors.

Huius

Huius non læsit contagio quotquot alumnos
Silesios, famæ est hoc Ludouice tuæ.
Salue igitur, salue æternum, super æthera rapte
Luduice, in Christi stella corusca manu.
Silesijs fueras lucis dux fidus, in aulis
Elysijs Christo nunc duce lætus ouas.

*M. Caspar Utricus Ecclesiæ, quæ est Seruestæ
ad D. Bartholomæum, Diaconus.*

IN TVMVLVM

Laurentij Ludouici Leobergensis.
Exanimis posuit corpus Ludouicus in urnam hanc:
Et posuit Christi sanctam animam in
gremium.

ALIVD.

A Nima pia quid agis? heic
Ego nihil ago, sed agunt
Mea tegumina, quia ego
Polica colo regimina.

Janus Kotteritius Eques Saxo.

IN OBITVM

CLARISSIMI, ET DOCTISSIMI VIRI,
Dn. M. Laurentij Leorini, Scholæ Gorlicensium
Rectoris quondam fidelissimi.

S I Viteberga suum plorauit mæsta Philippum:
Si fas clarorum funera flere virum:
Indignos, schola mæsta, manu dissolue capillos.
Ah nimis ante diem fixa dolore graui.
Ille tui Rector ludi, tua fama, decusq;
Luduicus terras liquit, & astra petiit.
Ecce Deus vatum Phoebus fert muta dolore
Plectra, chelyn fractam, ruptaq; fila lyræ.

A 3

Aspice


Aspice vt incedat discisso tristis amictu:
Et fædet miris vnguibus ora modis:
Vt largo humectet lacrumarum flumine vultus:
Vt repleat mæstis questibus omne nemus.
Sic cum Parnasi patrii Vincentius oras
Liqueret excultas, hunc doluisse ferunt.
Nec minus & lugent Musæ, hoc Rectore peremto:
Quàm patriam fugeres cum, Ioachime, scholam,
At Iouæ fidi Doctores cura vocantur:
Et sunt, qui, hos dia viuere sorte, putant.
Scilicet immiti sunt omnia subdita letho:
Cumq; probis reprobos sub sua iura vocat.
Quid pietas Moyfi, quid profuit ardua virtus
Nunidæ? Victos quid spoliasse duces?
Et Samson belloq; ferox fuit acer & armis:
Et tamen hunc rabida mors tulit atra manu.
Aspice Dauiden regem pietate celebrem;
A patre qui sanctum ducit Iesse genus.
Hunc quoq; crudelis mors fata subire coëgit:
Effugiunt Psalmi ferrea fata facri.
Sed quid scripta iuuant? quid nobis aurea profunt
Carmina? quid studijs inuigilasse bonis?
Cum rapiat doctos quoq; mors (ignoscite fasso)
Ingenuas artes temnere sollicitor.
Perlege doctorum monumenta sacrata: legentem
Mors tamen à libris in caua busta trahet.
Ingenij confide bonis: iacet ecce Magister:
Vix manet è magno, parua quod vna tegit.
Tene, senex venerande, necis vis improba strauit:
Nec metuit telis figere membra suis?
Relligio vultus manibus laniata decoros
Fletibus ora rigat: questibus arua replet.
Attamen hoc melius: quàm si ferus ense recuruo
Hostis læsisset corporis ossa tui.

Namq;

Namq; tibi amplexu iam pallida morte futura
 Ora fouens vxor vltima dona tulit.
 Venere & nati in partem cum matre doloris,
 Tundentes tremula pectora aperta manu.
 Rectorem amissum luxit sacer ordo Senatus:
 Rugosæ lacrumis nec caruere genæ:
 Ob fidiq; ducis doluerunt funus acerbum;
 Queis regere est patriam nunc pia cura scholam.
 Sed perpes requies cum post fera funera sanctis
 Restet: in arce poli nunc Ludouicus erit.
 Obuius aduenies dio fulgore coruscans
 Huic cum Meistero, sancte Philippe, tuo:
 Tu quoq; cui patrij primum data cura Lycæi,
 Vincenti, ingenio maxime, & arte potens.
 Cum his, Ludouice, polo viuas: tua namq; iuuentæ
 Ad coeli sedes cura reclusit iter.
 Ossa quiete frui precor: hinc Iova pellat Hyenas
 Consuetas tumbis eripere ossa cauis.

*Jonas Wittichius Gorl. præceptori de se optime
 merito gratitudinis ergo faciebat.*

ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΙΑ.


 Hic curas hominum varias, hinc vana perosus
 Vota hominum, posui corporis exuuias.
 Quæ cryptâ clausæ exiguâ hac sub mole quie-
 Terrenum quod erat, puluere terra tegit. (scunt
 Conscia sed recti mens, & post tristia, VIRTUS,
 Funera, quæ superat, tecta colunt polica.
 Omnia sic hominum sunt duræ obnoxia morti,
 Virtutis nescit florida fama mori.
 Ergo parce tuis lacrumis, Schola, parce querellis;
 Quæ reprimat iusta est causa tuas lacrumas.
 Nam requiem petij defunctus munere vitæ,
 Oranti requies en data grata mihi est.

Longe.

Longorum optaui finem aduentare malorum:
Optio successus nunc habet illa suos.
Fata vocant etenim, fatis quia cedere iustum est,
Concessi, fatis ecce vocatus eo.
Sit fas ergo mihi tranquillæ carpere vitæ
Gaudia perpetuò non habitura modum.
Hinc manes ne læde meos: Nam grandior æuo
Compleui cursum: cur mea busta gemis?
Vani quid profunt luctus? quid pectora palmis
Cædere? quid guttis ora rigare iuuat?
Discute tristitiam hanc, mœstos & mitte dolores
Desine funebres voluere lacrumulas.
Nam neq; me vincit tenebris, & carcere clausum
Stryx habet, umbrarum nec loca mœsta tenent.
Non mentem exagitat metus, aut spes turbat inanis
Non inflant pectus gaudia, cura necat.
Sed me qui mundum, mundiq; relinquere iussit
Delitias, voluit cernere regna poli.
Parta quies ergo mihi nunc quam terra negabat
Inuida, dum recubo hîc contumulatus humo:
Spiritus è tenebris sed latus in arua piorum
Viuit, & æternæ munera lucis habet,
Interea fas sit requiescere molliter ossa hæc,
Ocia sint cineri sint benefida suo:
Læta dies postquam celso illucescet Olympo
Et rediuiua suas ossa petent animas.
Tunc Deus ipse tibi mea reddet conspicienda
Ora: dabitq; frui suauiter alloquio.
Hæc, schola funestum releuent tibi cara, dolorem
Et sistat lacrimas iam data causa, Vale.

*Piæ recordationis ergo Præceptoris suo desideratissimo
Barth. Peucer. GS. P.*

FINIS.

A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom







BEATIS MANIBVS
VIRI CLARISSIMI
MI D N. LAURENTII
LVDOVICI LEOBERGENSIS,
Scholæ Gorlicensis Magistri fidelissimi, viri pietate,
doctrina, & humanitate præstantissimi, in nominis di-
uini inuocatione piè defuncti 17 Calend. Maij
Greg. anno post natum Chri-
stum 1594.

CARMINA SCRIPTA AB
Amicis & Discipulis,



SERVESTÆ,
Excudebat Bonauentura Faber,
ANNO
M. D. XCV.